



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 107. Alexander Perettus de Montalto Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII.

A. C. 1623.

§. CVII.

Alexander Perettus de Montalto Cardinalis mortuus.

*Ciacon. in
vita Sixti V.
p. 147.
Silos in Hist.
Cler. Reg.
Marac.
Purp. Ma-
rian.*

Hoc item anno Alexander Perettus de Montalto Sixti V. Nepos extremum clauserat diem. Hic anno ætatis suæ decimo quarto Diaconus, & postea Presbyter Cardinalis, & Pro-Cancellarius creatus, a Patruo suo pluribus, iisque pinguißimis locupletabatur beneficiis, quorum tamen reditus in egenos, honestas virgines dotandas, liberandos carcere detentos, levandos ægrotos, reparandas sacras ædes, & ornanda Tempa, præcipue Lauretanum, & illud B. V. Majoris tam liberali effudit manu, ut præter eleemosynam suis manibus in pauperes erogatam plusquam decies centena aureorum millia expendisse, ex privatis rationum tabulis deprehensum fuerit; Non deerant, qui eum de nimia profusione monerent, quibus tamen ille respondit, *nolle se coacervandis divitiis æternos cruciatus sibi coemere.* Erat in eo singularis modestia, moderatio, humanitas, clementia, mansuetudo, mira que in concedendo facilitas, animique magnitudo in donando: Pollebat vivida memoriæ felicitate, nilque præter

ter beneficia aliis præstita, & injurias sibi illatas unquam oblitus dicebatur. Petentibus, si satisfacere non poterat, non sine longa excusatione, si autem potuit, unico pene verbo se daturum aut facturum respondit; ei enim dixisse, fecisse fuit. Erat quoque Ecclesiasticæ auctoritatis vindex acerrimus: dein Bononiensi legatione per novennium functus, plures religiosorum familias amplis beneficiis cumulavit: cum autem immodicum glaciei usum faceret, & non modo potum, cibumque, sed & pharmaca fumeret frigidissima, contracto exin morbo Episcopus Albanensis, quam Ecclesiam duobus ante obitum mensibus obtinuerat, die secunda Junii anno ætatis suæ quinquagesimo quarto Romæ decessit, in Exquilino Sixti Sacello sepultus.

§. CVIII.

Stephani Pignatelli Cardinalis obitus.

Hunc pari fato in eadem urbe die duodecima Augusti sequebatur Stephanus Pignatellus patria Perusinus, qui humanioribus literis egregie imbutus, ac jurisprudentiæ scientia clarus, Scipionem Caffarellum Camili Burghesii postea Pauli V. Nepotem

Sæc. XVII.
A. C. 1623.